

aliqua exercitatione percipi posse. Non longe abieris: num jus civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant. Quamquam tu, si attente leges, si saepius, per te omnia consequere, ut certe intelligas: ut vero etiam ipsi tibi Loci proposita quaestione occurrant, exercitatione consequere. In qua quidem nos te continebimus, si et salvi redierimus, et salva ista offenderimus. V. kal. Sextil. Rhegio.

II. CICERO TREBATIO.

«Per jocum exagitat Epicureos, et ipsum Trebatium, quem Epicureum factum esse Pansa narraverat.»

Mirabar quid esset, quod tu mihi litteras mittere intermississes. Indicavit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. O castra praeclara! quid tu fecisses, si te Tarentum, et non Samarobrinam misissem? Jam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod et Sejus familiaris meus. Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tua caussa facias, non civium? Ubi porro illa erit formula fiduciae, *ut inter bonos bene agier oportet*? quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua caussa? Quod jus statues communi dividendo, quum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum scias Jovem iratum esse nemini posse? Quid porro fiet populo Ulubrano, si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere? Quare si plane a nobis deficis, moleste fero; sin Pansae adsentari commodum est, ignosco: modo scribe aliquando ad nos quid agas, et a nobis quid fieri aut curari velis.

III. M. CICERO P. SEXTIO P. F. S. D.

«Excusat tarditatem litterarum, et Sextium hortatur, ut sapienter et fortiter exsilium ferat, ad id vario usus consolationis argumento.»

Non oblivione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae, superioribus temporibus ad te nullas litteras